

1874 #81



1080046021

BX855
.14
1733-62
v.8
c.1

BULLARIUM
ROMANUM

S E U

NOVISSIMA ET ACCURATISSIMA

COLLECTIO

APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM

*Ex authographis, quæ in Secretiori Vaticano,
aliisque Sedis Apostolicæ Scriniis
affervantur.*

*Cum Rubricis, Summariis, Scholiis, &
Indice quadruplici.*

TOMUS OCTAVUS

Complectens Constitutiones ab INNOCENTIO XI. editas.



ROMÆ MDCCXXXIV.

Typis, & Expensis Hieronymi Mainardi in Platea Montis Citatorii.

**SUPERIORUM FACULTATE,
CUM PRIVILEGIO SANCTISSIMI,**



46592

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi

A N N I B A L I

CARDINALI ALBANO

Sabinorum Episcopo, & S. R. E. Camerario.

HIERONYMUS MAINARDI

FELICITATEM.



UM primum Continuationis MA-
GNI BULLARII ROMANI a me susceptæ Tomum
Sanctissimo Pontifici CLEMENTI XII. feliciter
regnanti dedicassem, qui propter singularem in
retinenda, ac tuenda Ecclesiastica Disciplina ze-
lum, & propter Apostolicam in custodiendis Præ-
decessorum suorum, & Sacrorum Canonum Sanctio-

tionibus sollicitudinem nulli Romanorum Pontificum cedit; quique, ut laudatissimæ eorundem Constitutiones omni cura, integritate ac fide imprimerentur, e secretioribus hujus Almæ Urbis Tabulariis exscribendi copiam benigne fecit: Nihil mihi fuit potius, EMINENTISSIME PRINCEPS, quam ut alterum mature absolutum tuo inclyto nomini nuncuparem. Ut hoc autem præstarem, moverunt in primis præclaræ animi dotes, atque illustrium virtutum tuarum splendor, qui nec obscurus unquam fuit, & in dies singulos, auctis in Christianam Rempublicam, & Apostolicam Sedem meritis, omnium magis magisque perstringit oculos. Vehementissimos vero addidere stimulos præcipua ac magna, quibus me cumulasti beneficiis, quæ huic ipsi evulgando operi, cum minime defuerint, adeo me Tibi obstrinxere, ut illorum recordatio nunquam ex animo possit excidere. Ipse enim auctor mihi fuisti, ut cum Continuatione integrum BULLARIUM ROMANUM, dignitate certe sua commendatissimum typis meis committerem, nihil laboriosi operis formidans molem, nec magna dispendia. Omnia enim, ut obvia mihi essent atque facilia auctoritate, ope, ac patrocínio tuo curasti. Ipse quoque singulari cura & vigilantia, qua tantæ maturandæ editioni præes, effecisti, ut cuncta suo quæque ordine disposita, integra, emendata, opportunisque illustrata notulis in publicam lucem prodirent. Hinc liquido constat, majorem, atque præcipuam hac in re par-

partem Tibi merito esse referendam acceptam: mihi autem eam tantum, quæ puro putoque Typographo concedi solet, relinquendam. Quamquam & hanc Tibi beneficentiæ causa jure optimo possis adscribere; Enimvero cum sæpenu-mero præclarissimæ Familiæ Tuæ patrocínio præsentissimum mihi meisque expertus fuerim; Tu tamen, CARDINALIS AMPLISSIME, ea præ ceteris in me contulisti, quæ cum ad meas res omnes, tum maxime ad Typographiam feliciter promovendam non parum conducerent. Ex quo satis intellexi, Te a natura ita esse comparatum, ut quos noveris quoquo pacto addictos literis, in eos eximiam liberalitatem tuam potissimum commendes. Quod luculentis exemplis præstitisti, nec præstare desinis. Propterea bonarum artium studiosi, ut gratum erga Te, tumque in literas amorem, & præsidium exhibeant, omni monumentorum genere memoriam Tui æternitati mandare student. Nec sane alio consilio hoc Opus tuo nomine insignitum in manus hominum emittere aggredior. Accipe igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME, qua soles humanitate munus, tuis quidem meritis longe impar, grati tamen animi, & meæ erga Te perpetuæ observantiæ testem futurum locupletissimum. Vale.